

Teuber, August
De auctoritate
commentorum in Terentium

PA
6380
T48





Wilhelms-Gymnasium
und
Höhere Bürgerschule
zu
Eberswalde.

III.
Ostern 1881.


Einladungs-Schrift

zu der

am 5. April in der Aula der Anstalt stattfindenden

öffentlichen Prüfung.

- Inhalt:** 1) De auctoritate commentorum in Terentium, quae sub Aelii Donati nomine circumferuntur,
scr. Aug. Teuber.
2) Bericht über das Schuljahr 1880—81 vom Director.



Eberswalde 1881.
C. Müllers Buchdruckerei.

PA
6380
T48



809509 .

I.

De auctoritate commentorum in Terentium, quae sub Aelii Donati nomine circumferuntur.

A.

Aelium Donatum commentario, quo Terentii fabulas illustravit, libellum praemisisse, cuius titulus fuerit *de comoedia*, hoc praefationis in Adelph. comm. loco docemur: ‚Protasis turbulenta est, epitasis clamosa, catastrophe lenior; quarum partium rationes diligentius in principio proposuimus. cum *de comoedia* quaedam diceremus’. (Cf. Donati in commenta Terentiana praefationes, ex rec. A. Reifferscheidii in indice scholarum Vratislaviensium hibernarum a. 1875 p. 7. 7—9). Huius libelli loco in scholiis, quae nobis relicta sunt, post vitam illam Terentii ex Suetonii Tranquilli libris de Viris Illustribus petitam enarrationes quaedam de tragoedia et comoedia leguntur; quae cum ob easdem res saepius tractatas ab uno auctore abhorreant, vulgo in duas partes inter se diversas dissecantur: tractatum de tragoedia et comoedia, commentum de comoedia, quae dicuntur. Gravissima iam existit quaestio, a quibus auctoribus haec commentationes profectae sint; nam idem fere quod de his enarrationibus de ipsorum scholiorum condicione atque auctoritate valebit.

Tractatum de trag. et com. ad Euanthium, grammaticum tertii post Christum saeculi Constantinopolitanum, primus Lindenbruchius rettulit, cuius auctoritatem viri docti omnes secuti sunt. Et duas in eo grammatici illius sententias legi Rufini Antiochiensis testimonio constat, qui in principio commentarii in metra Terentiana (cf. Gramm. Latt. ex rec. H. Keilii vol. VII. p. 554) hoc exhibet: ‚Euanthius in commentario Terentii de fabula [hoc est de comoedia] sic dicit: ‚concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro’ et postea sic: ‚veteres etsi ipsi quoque in metris negligentius *¹⁾ iambici versus dumtaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione huius metri quantum potest comminuti ad imaginem prosae orationis.’ (Cf. Euanthius et Donati commentum de comoedia, ex rec. A. Reifferscheidii in indice scholarum Vratislaviensium a. 1874. p. 5. 17 sqq.)

Nec satis tamen haec Euanthii auctoritas mihi videtur his locis comprobari; alias enim quasdam sententias in hoc tractatuprehendisse mihi videor, quae ad Donati libellum de comoedia referendae sunt. Hanc statuendam esse condicionem ut appareat, nonnulla et ex praefationibus Donati et ex tractatu de trag. et com. ad verbum afferre liceat.

Donatus in praef. Andr. comm. (cf. R. praef. p. 5, 3—4) hoc notat: ‚Difficile est divisionem actuum in Latinis fabulis internoscere obscure editam; causam iam dudum demonstravimus’ — scilicet in libello illo de comoedia.

¹⁾ ‚egerunt’ — quod in tractatu legitur — in codicibus Rufini deest.

De eadem re agitur ab *auctore tractatus de trag. et com.* (cf. R. Euanth. p. 5. 22 sqq.) his verbis:

„Comoedia vetus ab initio chorus fuit paulatimque personarum numero in quinque actus processit: ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad novam comoediam sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus sed ne locus quidem ullus iam relinquatur choro. nam postquam otioso tempore **fastidiosior** spectator effectus esset et tum, cum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire coepisset, admonuit poetas ut primo quidem choros tollerent locum eis relinquentes, ut Menander fecit hae de causa, non ut alii existimant alia: postremo ne locum quidem reliquerunt, quod Latini fecerunt comiei, unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est’

Donatum similia iis, quae ex tractatu de trag. et com. allata sunt, de distinguendis actibus in libello illo de comoedia exposuisse his praefationum locis intellegitur

1) in Eun. comm. (cf. R. praef. p. 10, 6—10):

„Actus sane implicatiores sunt in ea, ut qui non facile a parum doctis distingui possint, ideo quia tenendi spectatoris causa vult poeta noster omnes quinque actus velut unum fieri, ne respiret quodammodo atque distincta alicubi continuatione succedentium rerum ante aulaea sublata **fastidiosius** spectator exurgat.’

2) in Adelph. comm. (cf. R. praef. p. 7, 1—5):

„Hoc etiam ut cetera huiusmodi poemata quinque actus habeat necesse est choris divisos a Graecis poetis: quos etsi retinendi causa [iam] inconditi spectatoris minime distinguunt Latini comiei metuentes scilicet, ne quis **fastidiosus** finito actu velut admonitus a beundi reliquae comoediae fiat contemptor et surgat, tamen a doctis veteribus discreti atque disiuncti sunt, ut mox aperiemus post argumenti narrationem.’

Cum singulae sententiae eum rerum tum locutionum similitudine inter se congruant, auctorem tractatus de trag. et com. Donati libellum de comoedia in manu habuisse et locum de actuum divisione ex eo petivisse coniciendum est.

Ex reliquis sententiis, quae in tractatu de trag. et com. leguntur, apte eum quibusdam Donati praefationum explicationibus praecipue propter rerum similitudinem hae conferuntur:

I. De personis protaticis, quae dicuntur:

Auctor tractatus de trag. et com. (cf. R. Euanth.

p. 6, 7—9) sic:

„Ad hoc *προτατικὰ πρόσωπα* id est personas extra argumentum accersitas non facile ceteri habent: quibus Terentius saepe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum.’

Donatus sic:

- 1) „Persona protatica ea intellegitur, quae semel inducta in principio fabulae in nullis deinceps fabulae partibus adhibetur’. (cf. praef. Andr. R. p. 4, 4—5)
- 2) „Adnotandum sane, quod haec fabula *προτατικὸν πρόσωπον* non habet, hoc est, personam, quae ad argumentum nihil attineat, quaeque sit assumpta extrinsecus, ut est in Andria *Sosia*’. (cf. praef. Adelph. R. p. 7, 15—16)
- 3) „*προτατικὰ πρόσωπα* id est personae extra argumentum duae sunt, *Philotidis* et *Syrae* . . . ut per harum personas . . . argumentum spectator discat’. (cf. praef. Hec. R. p. 12, 21; p. 13, 4)

II. De bonis meretricibus a Terentio primo inductis:

Auctor tractatus de trag. et com. (cf. R. l. l. p. 6, 13—17) sic:

„Quin etiam solus ausus est, cum in fietis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra praescripta comica, *meretrices* interdum *non malas* introducere: quibus tamen, cum bonae sint, et voluptas per ipsum et causa non deficit.’

Donatus sic:

„In tota comoedia hoc agitur, ut res novae fiant, nec tamen abhorreant a consuetudine. Inducuntur enim benevolae soerus, verecunda nurus *meretrix bona*’. (cf. praef. Hec. R. p. 12, 24 sqq.)

Rem accuratius idem auctor videtur exposuisse hoc scholio ad Hec. I. 1. 1:

„Animadvertendum est in hac fabula Terentium {bonam meretricem inducturum, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere: ut id exemplis fiat tritius, et usu verisimile’. (cf. ibidem V. 1. 1, praeterea schol. ad Eun. I. 2. 118)*)

III. De argumentis singularum fabularum:

Auctor tractatus de trag. et com. (cf. l. l. p. 5, 4—7) sic:

„Illud etiam inter cetera eius laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceterae quinque binos adolescentulos habent.’

Donatus sic:

„Argumentum quoque non simplicis negotii habet unius adolescentis, ut in Hecyra, sed duorum ut in ceteris fabulis’. (cf. praef. Phorm. R. p. 14, 20—23)

His quoque locis eodem modo videtur confirmari auctorem tractatus de trag. et com. Donati libros inspexisse illiusque enarrationes secutum suam commentationem conscripsisse.

Tractatum de trag. et com. cum plura in eo legantur, quae ad Donatum spectant, Euanthio abiudicandum esse iam mihi videor comprobasse. Verisimile ergo fit magistrum quendam quinti fere saeculi eruditione quadam praeditum tractatum composuisse; qua in re eum aliorum — certe Euanthii — commentarios in Terentii fabulas tum Donati libros in manu habuit atque compilavit. Recentioribus illis iam temporibus eum floruisse comprobatur cum tenui exilique dicendi genere, quo tractatus conscriptus est, tum absurdis quibusdam sententiis, quae a grammaticis quarti post Christum saeculi alienae sunt. Sic ‚Iliadem ad instar tragoediae, Odyssiam ad imaginem comoediae’ Homerum fecisse contenditur (cf. R. Euanth. p. 4, 5—6); comoedia quae media dicitur, drama satyricum Graecorum, satira Romanorum prorsus inter se confunduntur (cf. l. l. p. 5, 5—15). Tractatum non ‚de tragoedia et comoedia’ inscriptum fuisse intellegitur his auctoris verbis (cf. l. l. p. 4, 9—12):

„At vero ea quae proprie de tragoedia dicenda sunt titulo propositi nunc operis instantes in alia tempora differamus et de his fabulis iam loquamur, quas Terentius imitatus est: postquam demonstrandae originis causa de utriusque generis initio diximus, quod necesse est iam dicamus.’

*) Scholia commentorum ex Westerhovii editione Ter. et Don. Hag. 1726 exhibuimus.

His verbis praesertim cum sententia, quae subiungitur, incipiat ‚comoedia vetus etc.’ tractatum inscriptum fuisse sicut Donati libellum ‚*de comoedia*’ verisimile fit.

Reifferscheidio, qui duas in eo partes inesse inter se alienas contendit (cf. Euanth. p. 2) ob eamque rem auctoris nomen inscribere noluit, ego non assentior. Dissertit enim auctor primum de antiqua comoedia, quam ‚drama satyricon vel satira’ exceperit; ‚pergit deinde: coacti omittere satiram aliud genus carminis *ἔξιν ζωγραφίζιν* repperere poetae, quae praecipue Menandri Terentiique est’. Tum pluribus de Terentii virtutibus disputat et his verbis ad singulas comoediae species describendas revertitur: ‚Illud vero tenendum est post *ἔξιν ζωγραφίζιν* Latinos multa genera fabularum protulisse’ et excepta palliata iam fabulas Romanorum proprias (togatas, praetextatas, Attellanas, Rhinthonicas, tabernarias, mimos) enumerat. Hoc modo si sententiae coniunguntur, verba ‚Illud vero tenendum est etc.’ quod Reifferscheidius in dubium vocat, apte cum antecedentibus cohaerent.

Commentum de comoedia quod vocatur ad unum vulgo auctorem refertur. In duas vero partes inter se alienas enarrationes, quae hoc nomine comprehenduntur, dissecandas esse editores non monuerunt. Nova enim et ab antecedentibus diversa commentatio his verbis instituitur (cf. R. Euanth. p. 9, 21 sqq.): ‚Fabula generale nomen est: eius duae primae partes tragoedia et comoedia etc.’ Quae verba quomodo cum superioribus cohaereant, prorsus non intellegitur. In priore capite conglutinantur quaedam veterum auctorum de comoedia et tragoediae notitiae; toto autem genere dicendi ridiculisque quibusdam sententiis saepius immistis (cf. l. l. p. 8, 19 sqq.: ‚Athenienses . . . in vicis et compita ex omnibus locis *lacti alacresque* veniebant’ — ib. ‚haec autem carmina *in pratis mollibus* primum agebantur’) magistrum recentissimorum temporum hanc enarrationem conscripsisse confirmatur. Finitur hoc caput Horatii vv. A. P. 275—288, quibus poeta tragoediae et comoediae origines brevissime et aptissime describit. Plura etiam quam nobis relicta sunt num auctor disseruerit, diiudicari non potest.

Alterum caput ‚Fabula generale nomen etc.’ Donato attribuendum est; in hoc enim legitur accurata illa enarratio de singulis comoediae partibus, cuius Donatus in praef. Adolph. comm. (cf. p. 3) mentionem facit: ‚Comoedia autem dividitur in quatuor partes, prologum, protasin, epitasin, catastrophem etc.’ (cf. R. Euanth. p. 10, 8 sqq.), praeterea aliae, ad quas praefationum explicationes optime accommodatae sunt. Sic Donatus saepius de titulorum fabularum varietate disputat, e. gr. in praef. Andr. comm. (cf. R. praeff. p. 3, 15) ‚pronuntiataque est Andria Terenti ob incognitum adhuc nomen poetae et minoris apud populum auctoritatis et meriti’; qua de re in hoc capite sic agitur (cf. R. Euanth. p. 11, 1—6): ‚In plerisque fabulis priora ponebantur ipsarum nomina quam poetarum, in nonnullis poetarum quam fabularum. cuius moris diversitatem antiquitas probat. nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur antequam poetae pronuntiaretur, ne aliqua invidia ab scribendo deterreri posset. cum autem per editionem multarum poetae iam esset auctoritas acquisita, rursus priora nomina poetarum proferebantur, ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur.’ Eodem modo inter se congruunt, quae de nominibus fabularum (cf. praeff. p. 3, 1, p. 6, 17, p. 9, 20 et Euanth. p. 10, 2—3) et de re musica (cf. praeff. p. 7, 11—13 et Euanth. p. 12, 14) proferuntur. Totam autem commentationem perturbatam, dilaceratam, lacunosam nobis relictam esse primo aspectu elucet; quae de singulis actibus distinguendis Donatus disputaverat, plane perierunt. Tamen ex hoc fragmento satis intellegi potest, de quibus rebus quo ordine usus Donatus integro illo libello disseruerit. Et videtur doctus ille magister priore huius commentationis parte de origine tragoediae et comoediae, de variis comoediarum formis, de singulis comoediae partibus actuumque divisione egisse, altera parte didascaliarum, quae vocantur, rationem ita illustrasse, ut primum de titulis comoediarum (cf. l. l. p. 10, 2 sqq. ‚omnium

autem comoediarum inscripta ex quatuor rebus omnino sumuntur etc.’), deinde de ludis scenicis (cf. ib. p. 11, 6 ‚actas diversis ludis manifestum est inseribi’) et eis, quae ad ipsam scenam pertinebant, tum de actoribus et variarum personarum vestimentis, postremo de re musica ea retractaret, quae in vetustiorum interpretum libris legerat. Varronis auctoritatem imprimis eum secutum esse verisimile fit hoc loco praef. Hee. comm. (cf. R. p. 13, 24 sqq.): ‚Docet autem Varro neque in hac fabula neque in aliis esse mirandum etc.’.

Unius ergo huius praefationis de comoedia loco scholiis, quae ad nostram aetatem pervenerunt, tres commentationes antepositae sunt: tractatus de trag. et com. qui vocatur, cuius auctorem post Donati aetatem floruisse verisimile est, Donati libelli de comoedia fragmentum, enarrationum quaedam his inserta, de cuius auctore accuratius quidquam indagari non potest.

B.

Scholia in quinque Terentii fabulas, quae librorum manuscriptorum subscriptionibus Aelio Donato attribuuntur, non unius esse interpretis Terentii, sed plurium magistrorum continere commenta satis inter viros doctos constat. *) Quorum auctorum enarrationes ita inter se confusae sint, nulla alia ratione nisi commentationibus illis de comoedia, quae scholiis antepositae sunt, explicari posse Hermannus Usenerus in Mus. Rhen. XXIII. p. 495 sqq. rectissime monuit. Quodeum unam earum partem ad Euanthium, alteram ad Donatum referret, etiam ipsa scholia ex commentariis illorum grammaticorum potissimum hausta esse coniecit. Earum rationem cum aliter sese habere confirmaverimus, quae de ipsorum commentorum condicione atque origine nobis videantur statuenda esse, iam proferre liceat.

Tres commentarios scholiis subesse sicut tres enarrationes de comoedia eis antepositae sunt, facile ideo intellegitur, quod haud paucis in hac nostra farragine locis ternae de eisdem poetae verbis sententiae leguntur neque usquam maior hoc quantum scio similium inter se sententiarum numerus invenitur.

Ad rem illustrandam simul ut singuli commentarii qua ratione inter se cohaereant cognosci possit, exempla nonnulla ex commentis afferre liceat.

1) Ad Andr. I. 2. 33 ‚Nihil me fallis’ tria haec scholia leguntur:

I.

Nil me fallis.] Non te ignoro, non me decipis. Sic Menander: γυνὴ καὶ οὐδὲν λέλειθός με ἔν.

II.

Fallis.] Lates, ut sic: οὐδὲν με λέλειθός.

III.

Nil me fallis.] Figura est ἐλλεισμός, a loco οὐδὲν με λανθάνεις ἔν.

*) Multa inesse in commentis a Donato aliena primus sagaciter docuit Ludovicus Schopenus in dissertatione de Terentio et Donato, Bonn. 1821 (p. 31—50); Donati leges de figuris et vitiis orationis quae vocantur in arte exhibitae magno scholiorum numero prorsus neglectas esse accurate ostendit W. Hahnus duobus programmatis, quae inscribuntur „Zur Entstehungsgeschichte der Scholien des Donat zum Terenz, I. Halberstadt 1870, II. Stralsund 1872“.

2) Andr. III. 1. 19 verba ‚Num immemores discipuli?’ hoc modo explicantur:

I.

Num immemores discipuli.] Alii hic Pamphilum significari putant discipulum: quia Davus magister. Nam nomina ad aliquid sunt discipulus et magister, et tunc *discipuli* genitivus est singularis casus. Alii nominativi pluralis putant: ut discipulos dixerit, omnes per quos agitur fallacia, secundum illud: *Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.*

II.

Num immemores discipuli.] Discipuli Mysis, Lesbia et Pamphilus, omnes per quos agitur fallacia. Bene ergo discipulos imperitos ostendit, et magistrum Davum, quia supra dixit: *Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.*

III.

Num immemores discipuli.] Deest nunc. Et bene *discipuli*: quia ipsum magistrum supra fecit.

3) Ad Eun. III. 2. 18 ‚Ex Aethiopia est usque haec’ annotantur:

I.

Ex Aethiopia est usque.] Illic ostendit quid sit ex Aethiopia, addendo *usque*: ut ex longinquitate dignitas muneris ponderetur. Et quid erit iam eriminis in colore, quando ipse dicere gloriatur unde sit? Et mire ab inferiore coepit, ut ἀβζήσιον doni faceret in Chaerea: et turpi praecedente lenocinium comparat secuturo pulchro.

II.

Ex Aethiopia est usque haec.] Quod Thais cupiebat. nam supra: *Nonne ubi dixti cupere te ex Aethiopia ancillulam.* *Usque* additum, ut longinquitas monstraretur. Et hoc est quod facit: *Munus nostrum ornato verbis, quod poteris.*

III.

Usque modo adverbium de loco est: ut: *Siculo prospexit abusque Pachyno.*

4) Eun. V. 5. 21 sqq. ‚Is pro illo eunuchō ad Thaidem deductus est. || Pro eunuchō? || Sic est: hunc pro moechno postea Comprehendere.’

verba ‚pro eunuchō’ et ‚pro moechno’ hoc modo explicantur:

I.

Hunc pro moechno postea.] Bene utrumque *pro*: quia neque eunuchus est, qui vitiavit virginem: neque moechus, qui in domo meretricia. Et specta quam oratorie transeulerit mentionem vitiatae virginis. *Pro moechno*, inquit, ut culpam Chaeraeae sub meretricis accusatione celaret.

II.

Hunc pro moechno postea.] Bene studuit Terentius *pro* bis numero dicere: et *pro* eunuchō, et *pro* moechno. *Pro moechno* autem quasi excusans dixit. Nam vere in virginem Atticam non *pro* moechno sed moechus est.

III.

Hunc pro moechno.] Bene totum *pro*: quia neque eunuchus, qui ephebus; neque adulter, qui amator.

5) Phorm. I. 1. 12 sqq. ‚Porro autem Geta ferietur alio munere’ de verbo ‚ferietur’ haec leguntur:

I.	<p><i>Porro autem Geta ferietur.]</i> Ad paupertatem retulit <i>Ferietur</i>. Nam et <i>damnum plaga</i> et <i>res sanguis</i> noster dicitur.</p>	II.	<p><i>Ferietur alio munere.]</i> Ex consuetudine, <i>Ferietur</i>. Nam et <i>plagam</i> <i>damnum</i> et <i>sumptum sanguinem</i> nostrum dicimus.</p>
----	--	-----	--

III.

Ferietur alio munere.] Significanter non *Fungetur* munere, sed *Ferietur* dixit.

Alia eiusmodi si quis cognoscere vult, conferantur scholia ad Andr. prol. 6 et 7; I. 1. 66 et 67; I. 5. 33; II. 2. 17. — Eun. prol. 15; II. 2. 5; II. 3. 83; III. 2. 25; IV. 3. 11; V. 6 23; V. 8. 49. — Adolph. I. 1. 24; I. 2. 7; V. 8. 29. — Hec. prol. 2. 41; II. 2. 21; III. 1. 6; III. 4. 33; III. 5. 34 et 35; V. 1. 9; V. 1. 22; V. 2. 6. — Phorm. I. 2. 73 et 74; I. 2. 81; I. 4. 21 et 22; V. 8. 65 et 66. —

Trium horum commentariorum duos arctiore quodam vinculo inter se contineri locorum quos attulimus haud paucis comprobatur. Ex ternis enim illis explicationibus binas saepius adeo inter se videmus similes esse, ut eiusdem quodam modo auctoris sententia videatur repetita esse. Quam commentariorum necessitudinem non ita esse explicandam, ut eisdem veterum interpretum libris auctores eorum usi sint, sed unum alterius commenta compilasse multis potissimum scholiorum locis confirmatur, ubi tertii commentarii annotationibus non traditis binae de eisdem poetae verbis explicationes inter se congruentes deprehenduntur.

Ad hanc opinionem comprobendam haec exempla excutere liceat:

Annotatur ad Andr. I. 2. 1 sqq.: ‚Non dubium est, quin uxorem nolit filius. Ita Davum modo timere sensi etc.’

I.	<p><i>Non dubium.]</i> Narratione iam habita persona Sosiae non erat necessaria: ergo subsistit senex, per quem agenda sunt reliqua.</p> <p><i>Modo.]</i> ante quam cum Sosia loqui coepisset Simo. Et <i>Davus</i> non recte scribitur etc.</p>	II.	<p><i>Ita modo Davum timere sensi.]</i> Non recessit de loco senex: <i>Sensit</i> ergo ante, quam cum Sosia loqui coepisset.</p>
----	--	-----	--

Ib. II. 6. 12 sqq.: ‚Dum licitum est ei dumque aetas tulit, Amavit etc.’:

I.	<p><i>Dum licitum est.]</i> Deest <i>per te</i>: hoc est dum tu permisisti. Et mire hic utitur verbis senis. ipse enim supra dixit: <i>Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum.</i></p>	II.	<p><i>Cum falso lemmate vulgo v. 13 positum.]</i> Mire utitur senis verbis. ipse enim dixerat: <i>Dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum.</i></p>
----	--	-----	--

Ib. II. 6. 26: ‚Quidnam hoc est rei? quid hic volt veterator sibi?‘:

I.

Quidnam hic volt veterator sibi?] *Veterator* est vetus in astutia et qui in omni re callidus est. Et hi duo versus ostendunt pulsatum esse senem argumento falsarum nuptiarum: illo argumento quod ait, *paululum obsonii*: tanquam se illuderet Davus etc.

II.

Quidnam hoc est rei?] Pulsatus est senex argumento falsarum nuptiarum, *paululum obsonii*: tanquam se illuderet Davus.

Ad Eun. prol. 27: ‚Si id est peccatum, peccatum imprudentia est‘:

I.

Si id est peccatum.] Ἠδωκί. Nam *peccatum* superius nomen est: et sequens participium. Et primo negat peccatum. deinde si peccatum est, purgat id ipsum veniali qualitate ab imprudentiae partibus.

II.

Si id est peccatum, peccatum imprudentia est.] Primo negat peccatum, deinde concedit et purgat.

Ib. II. 2. 32 sqq.: ‚Tanquam philosophorum habent disciplinae ex ipsis Vocabula parasiti ut Gnathonici vocentur‘:

I.

Ex ipsis vocabuta.] Ut Pythagorica, Platonica. Hoc igitur non est consequens ad illud, quod vult dicere: nisi forte *disciplinam* pro discipulis posuerit.

II.

Parasiti item ut Gnathonici vocentur.] Non hoc intulit, quod coeperat dicere: nisi forte *disciplinum* pro discipulis accipimus.

Ad Adelph. III. 4. 30: ‚Ille bonus vir nobis psaltriam si dis placet, Paravit, quicum vivat etc.‘:

I.

Ille bonus vir nobis psaltriam, si dis placet, paravit.] Conclusio accusationis. Et *Bonus vir* εἰρωνεία quidem est, sed ab eo posita, qui indignetur virum bonum esse debuisse, qui non sit, ut supra: *Neque boni, neque liberalis est functus officium viri.* Et simul considera, quo nomine Aeschinum vocet, virum appellans scilicet, qui vult eius certa esse promissa, et qui illum iampridem videri maritum velit. *Nobis* autem ex abundantī τῷ ἰδιωτισμῷ ad indignationem relatum est.

II.

Ille bonus vir.] Εἰρωνεία indignantis in loco addita est verbis ardentibus. *Psaltriam nobis.*] Τῷ ἰδιωτισμῷ sic enim dicimus, et est consuetudinis pervulgatae.

Ib. V. 8. 8: ‚Parere iam diu haec per annos non potest‘:

I.

Parere iam diu per annos haec non potest.] Hoc autem addidit, ne contra filios pater suadere videatur nuptias, si illis cohaeredes esse procreandos suadeat.

II.

Parere iam diu per annos haec non potest.] Recte, ne contra filios suadere videatur.

Ad Hec. I. 2. 22 sqq.: ‚Modo quae narravit mihi hic intus Bacchis’:

I.

Modo quae narravit mihi.] Quae legendum est, ut sit qualia et quanta, et hoc ἐν ὑποκρίσει.

II.

Quae narravit mihi.] Quae: qualia scilicet et quanta.

Ib. V. 2. 5: ‚Phidippe, Bacchis deierat persancte’:

I.

Bacchis deierat.] Si correpte Deierat, Deos iurat: si producte, valde iurat. Et bene senem iratum praeoccupavit, dicendo Deierat etc.

II.

Deierat.] Deos iurat. ut — Maria omnia iuro. Aut valde iurat.

Ad Phorm. I. 2. 24: ‚Memini relinqui me deo irato meo’:

I.

*) . . . Hoc Asper. Sed mihi videtur ad hoc addidisse meo, ne esset ἀρτίβολον, cui diceret, Irato deo. Naevius in Stalagmo: Deo meo propitio, meus homo est.

II.

Memini relinqui me deo irato meo.] Domino dixit: an vere deo? Et bene meo, ne esset ἀρτίβολον.

Ib. I. 2. 57: ‚Lacrumae, vestitus turpis: ut ni vis boni In ipsa inesset forma, haec formam exstinguent’:

I.

Ut ni vis boni in ipsa inesset forma.] Veteres ignem et calorem quemdam, quasi fervorem, dixerunt Formam: et ideo Fornaces, forciipes, formam et formosos: ex quibus ignis amoris exoritur. Laudandus est ergo Terentius proprietate servata: qui quum formam praetulisset, subiecit exstinguent. Ideo et Virgilius sic ait:

At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.

II.

Exstinguent.] Bene Exstinguent: quia ab igne et calore forma dieta est.

Praeterea cf. scholl. ad Andr. I. 1. 48, 141; I. 2. 22; I. 5. 10, 64; II. 3. 24; III. 2. 3; III. 4. 19; III. 5. 5; IV. 3. 11; V. 2. 12. — Eun. II. 1. 5; II. 3. 25; III. 1. 11; V. 8. 15. — Adolph. I. 1. 11, 15; I. 2. 16; III. 3. 47; IV. 2. 11; V. 3. 53 et 54; V. 5. 1; V. 8. 14. — Hec. III. 1. 14; IV. 2. 10. 13; IV. 4. 44. 94; V. 1. 33. — Phorm. I. 1. 11; I. 3. 8; IV. 4. 31. — etc.

His locis plane perspicuum est ipsorum scholiorum eosdem statuendos esse auctores atque enarrationum de comoedia, quae eis antepositae sunt. Donati commentis, quae scholiis subesse et praefationibus in singulas poetae fabulas et librorum manuscriptorum subscriptionibus satis firmatum est, alterius cuiusdam commentarii sententiae immistae sunt, cuius auctor illius interpretis libros in manu habuit atque compilavit. Hunc eundem esse grammaticum, qui tractatum de trag. et com. conscripsit, secundum ea, quae de ratione huius tractatus supra (p. 3 sqq.) a nobis disputata sunt, per se intellegitur. Haec ratione tot in commentis legi sen-

*) Prior pars sententiae periit.

tentias, quarum similitudinem miramur, satis explicatur; praeterea etiam maximam scholiorum nostrorum partem ex Donati commentis petitam esse verisimile fit. Eundem magistrum etiam suo ingenio fretum Terentii verba illustrasse haud exiguo illorum locorum numero confirmatur, ubi binae sententiae de eisdem poetae verbis aut parum inter se similes aut prorsus contrariae leguntur (cf. scholl. ad Andr. I. 1. 75; III. 2. 6; Eun. I. 1. 28; II. 2. 25; IV. 4. 18, 24; IV. 7. 16; Ad. III. 3. 69; Hee. II. 1. 1; III. 2. 18; III. 4. 16; IV. 1. 55; IV. 2. 29; Phorm. I. 2. 54 etc.) Ex his num nonnulla ille magister ex Euanthii commentaris excerpta nobis tradiderit, in incerto relinquendum est. Nam cum a nullo scriptore praeter Rufinum Antiochiensem quidquam ex illius scriptis afferatur, omnino videtur dubium esse, num illius ‚commentarius Terentii‘ (cf. p. 3) iustam singularum fabularum verborumque poetae interpretationem exhibuerit.

De tertii commentarii auctore, cuius scholia cum Donati et compileris illius explicationibus confusa sunt, sicut de auctore enarrationis illius de comoedia, quam inter tractatum de trag. et com. et Donati fragmentum de com. interpositam nobis relictam esse supra (p. 6) vidimus, accuratius quidquam ex commentis enuncleari non potest; tamen ad hunc magistellum videtur maxima illarum sententiarum plerumque brevissimarum pars referenda esse, quibus figurae vel vitia orationis notantur; in quibus plurima leguntur inepta atque absurda, quae a Donato prorsus abhorreant. (Exempla v. apud Habnium I. p. 7 l.)

Octavo iam p. Chr. saeculo trium horum commentariorum enarrationes antea e perpetuo suo ordine ereptas codicumque quorundam marginibus ascriptas in unum corpus congestas fuisse scholiis codicis Bembini ad prol. et I. 1 Phormionis fabulae manu illius saeculi exaratis comprobatur, quae cum eis scholiis, quae nobis sub Donati nomine relicta sunt, adeo congruunt, ut a librario quodam ex illis transcripta ea esse consentaneum sit (cf. F. Ümpfenbach „Die Scholien des Codex Bembinus zum Terentius“ Herm. ed. Hübner. II. p. 376 sqq.). Quo in negotio ille sic versatus est, ut primo scholia accurate ad verbum redderet, deinde ea quae commodiora sibi viderentur eligeret saepiusque contraheret, dum rursus scribendi labore fatigatus glossematis sicut in ceteris fabulis poetae verba illustrare satis haberet. Praeterea mirum est in his codicis Bembini scholiis nonnulla inveniri, quae uberiora sunt illis quae in hoc nostro Donato leguntur (cf. inter se scholl. ad Phorm. prol. 20 et 26). Unde intellegitur etiam postea librarios in describendis singulis sententiis neglegentius sese gessisse, ad libidinem suam scholia saepius ad sensum modo reddidisse, nonnunquam etiam suis ipsorum additamentis (maxime versibus Vergilianis, quorum ingens in nostris commentis numerus affertur) auxisse, quaedam vero in tanta scholiorum multitudine prorsus omisisse. Quod praecipue sub finem singularum fabularum videtur factum esse, ubi rarius sententiae bis terve repetitae inveniuntur. Maxime haec res in oculos incurrit in Phormione fabula, in quam a tertio usque ad quintum actum librarius, qui hoc nostrum corpus coegit, quasi defessus scholia maximam partem brevissima ac prae ceterorum commentorum copia exilia nobis reliquit.

Haec mihi de auctoritate scholiorum, quae sub Aelii Donati nomine circumferuntur, firma quadam via atque ratione videbantur probari posse; eodem vero modo certa proferre argumenta et indicia, quibus singulorum commentatorum sententiae praecipue Donati discernentur atque eruerentur, frustra conatus sum. Itaque satis ego habeo in re maxime dubia, in qua cavendum est, ne coniecturis nimium confidamus, et enarrationum de comoedia, quae scholiis antepositae sunt, et ipsorum scholiorum condicionem accuratius rursus illustravisse.

II.

Emendationes.

Commentorum Donati ad explicandas et emendandas Terentii fabulas haud inutilium nondum editionem huius aetatis doctrina et ratione critica dignam adornatam esse certe dolendum est. Klotzius enim quamquam in editione sua Ter. et Don. etc. Hal. 1838 vestustiorum quarundam editionum varias lectiones copiose notavit, ipsa tamen scholia emendanda potius quam emendata exhibuit. Gratia igitur A. Reifferscheidio est habenda, qui hanc provinciam novae editionis parandae maxime operosam et difficillimam videatur suscepisse. Et quae adhuc edidit capita in indicibus scholarum Vratislaviensium (cf. p. 3) apparatu critico adiutus, quem Schopenus congresserat, iis subsidia quaedam ad haec commenta rectius constituenda non deesse comprobavit. Ad haec accedere codicem quendam integrum in bibliotheca Bodleiana exstantem recentioris aetatis, sed interpolationibus non depravatum nuper docuit Dziatzko in libello, qui inscribitur „Beiträge zur Kritik des nach Aelius Donatus benannten Terenzkommentars. L. 1879“, in quo praeterea fasciculum emendationum pervulgavit, quas R. Bentleius margini exemplaris sui ascripsit. Ita spes non abicienda est fore ut etiam ipsa scholia saepissime mendis et interpolationibus adeo corrupta, ut omnino intellegi non possint, ad meliorem formam revocentur.

Quos ego hac commentatione locos emendare mihi proposui, eos maximam partem sine librorum manuscriptorum auxilio sola arte coniecturali sanari posse arbitratus sum. Scholia tractata sunt haec: ad Andr. I. 1. 10, 48; II. 2. 10; II. 6. 16, 19; III. 1. 2; IV. 3. 12; V. 2. 14; V. 4. 18. — Eun. I. 2. 85, 87; II. 3. 20, 32, 58; III. 1. 23; III. 2. 19, 24, 26; III. 5. 12, 29; IV. 3. 11; V. 8. 15, 20. — Adelph. I. 1. 1, 21; I. 2. 60; II. 3. 7, 8; II. 4. 10; III. 2. 56; III. 4. 12; IV. 1. 16; IV. 5. 9, 13, 19; V. 8. 15. — Heec. prol. 1. 8; I. 2. 61; III. 1. 14; IV. 4. 65; V. 1. 17. — Phorm. I. 1. 1; I. 2. 37, 70; II. 1. 81; II. 3. 79.

A.

Lemmata quae vocantur restituenda sunt his locis:

Andr. II. 2. 9 sqq.

Dave, perii. || Quin tu hoc audi. || Interii. || Quid timeas, scio.

Mea quidem hercle certe in dubio vita est.

Mea quidem hercle.] Videtur Charinus plus dixisse: *Perii*, quam Pamphilus: *Mea quidem hercle certe in dubio est vita*. Sed non est hoc. plus enim Pamphilus dixit. Nam qui vivit, non potest interiisse: is autem qui vivit, vitam potest in dubio habere. Ideo et iuravit *hercle*: et affirmans jusjurandum *certe* addidit. Bene *certe*: quasi illud *interii* falsum sit. Ita Pamphilus plus fecit, periturum se esse dicendo. quam Charinus interiisse.

A verbis ‚Bene *certe* etc.‘ novum scholium initium capit, cui idem lemma atque priori anteponendum est; praeterea in priore scholio pro ‚Videtur Charinus plus dixisse: *Perii*‘ legendum est ‚Videtur Charinus plus dixisse: *Interii*‘.

Andr. V. 2. 14.

Nescio qui senex modo venit: *ellum* confidens, catus.

Ellum.] Veteres quod nos *illum* dicimus vel *ellum* vel *ollum* dicebant. quamvis *ellum* quidam *ecce illum* velint intelligi; tanquam pro ipso domum Glycerii ostendat Davus, dicens *Ellum*, quasi *en illum*. est enim, ut alii volunt, pronomen: ut alii adverbium demonstrantis: nam pronomen huiusmodi veteres sic proferebant: *ille*, *ellus*, *ollus*. sed (ut diximus) adverbium compositum ex pronomine videri potest: ut sit *en* vel *ecce illum*.

Lege: *Ellum*] Veteres tanquam pro ipso domum Glycerii ostendat Davus dicens *ellum*. — *Ellum*] quasi *en illum* etc.

Hee. I. 2. 60.

Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.

Nocte illa prima virginem non attigit.

Nocte illa prima.] Pronuntiandum acutius *illa prima*: quasi dicat, plena desiderii, plena cupiditatis. Similiter addidit *Virginem*. et expresse: *Non attigit nocte illa prima*. Quasi dicat, plena amoris et plena dulcedinis: ut mirum fit quod infertur: *Non tactam Virginem*. Et hic argumentum est. quanta fecerit Pamphilus erga amicam suam.

Legendum est: *Nocte illa prima*] Pronuntiandum acutius Similiter addidit *Virginem* et expresse: *Non attigit*. — *Nocte illa prima*] Quasi dicat, plena amoris etc.

Simillima est eorum locorum ratio, ubi binae de eisdem poetae verbis sententiae particula **et** in unam contractae sunt; quas rursus separari maximamque partem item lemmatis exornari necesse est.

Cf. Andr. I. 48: *Victum quaeritans*] ut *Virgilius* Deinde finem laboris intulit, non cibum, sed victum. *Cibus* enim est, qui etiam delicatis praebetur. *Victus* in parvis aridisque alimoniis est constitutus. Unde *Virgilius* **Et** post tantum laborem *victum* non cibum dixit: ut *Virgilius* Et non *quaerens*, sed *quaeritans*, dixit etc.

Andr. III. 1. 2: *Ferme*.] Pro *facile* posuit **et** *ferme* *facilitatem* significat, quasi sit verbum extenuationis.

Eun. II. 3. 32: *Cui magis bona felicitates*.] *Bonae*, magnae. Nove autem dixit, magnas felicitates sibi adversari, eo quod virginem tantae pulchritudines ex oculis amiserit. Nam vidisse eam felicitatis iudicat: sed amisisse adversae felicitatis. **Et** quod *bonae* dixit, vel magnae vel nimiae intelliguntur. Vel ἐπιθετικόν est proprium et perpetuum felicitatum.

Eun. III. 1. 23: *Elephantis quam Indicis praefecerat*.] Et hoc stulte: cum hoc ad dignitatem sumit et sic pronuntiat, ut magna esse praefectura videatur haec ipsa. **Et** hoc a stolido milite sic profertur, tanquam magnum hominem velit esse, qui sibi invideret etc.

Adelph. IV. 1. 16: *Vab! quam vellem etiam noctu*.] Hoc utriusque personae convenit, sed melius a Syro, et facetius dicitur et quidam totum Ctesiphoni assignant, abusque *Interdium*. **Et** *Quam vellem* proprie dicimus in his, quae non videmus fieri. Bene igitur deficiente argumento, cum aliud non inveniret, in vota conversus est. unde videntur magis haec verba Ctesiphonis esse.

Ad. IV. 5. 13: *Quaedam mulieres pauperculae*.] *Pauperculae* addidit, ut magis desperet Aeschinus impetrari posse has nuptias a patre. Et item *Quaedam*: ut ignobiles demonstrarentur. **Et** totum hoc cum abiectioe pronuntiandum est. *Quaedam et Pauperculae* dicendo, adimit omnem spem nuptiarum: nam *Quaedam* ignobilem indicat: *Pauper* indotatam. Quid ergo remanet, quod speret Aeschinus?

Hec. III. 1. 14: *Habebam alibi.*] Gravius dixit *Alibi*, quam si *in meretrice* diceret et maluit *Alibi* dicere, quam *ad meretricem*.

Hec. IV. 4. 65: *Impulsu duxisti meo.*] Multum valet ad [per]suadendum laudatio eius. apud quem agimus: **et** ex ea parte laudatio, qua illum volumus inflecti.

Phorm. I. 2. 70: *Illene indotatam virginem.*] Ἐργαζιζῶς ille, de quo dixerat: *desinas: sic est ingenium:* et qui propter spem lucri navigarat senex. Insinuandum igitur fuit. hic enim erit omne periculum fabulae. **Et** ordine *Terentius* prius insinuavit personam senis, ut graviora fierent quae dirimebant nuptias.

His addendum est scholium ad Eun. III. 2. 26: *Ego illum eunuchum, si siet opus, vel sobrius.*] Hoc ut militare est, ita importunum praesente *Thaide*: extra quam, miles si saperet. nihil amatorie contemplari debuit. Sed et hoc accedit ad eius odium, praeterquam quod iam in suspicione est amicae suae, quod fidicinam magis diligat. Et hoc mire, quod nemo prior eunuchum esse *Chaeream*, quam miles. credidit: adeo stultus etiam nomine ipso appellavit. Sed statim stulte miles primo quidem convicium ipsi eunucho facit: in quo potest iam laedere amicam. deinde attestatur hoc dicto pulchritudinem huius muneris. Quid igitur proficit? Satis autem ioculare est, si cogites *Chaeream* esse, qui haec de se audiat, et tacere cogatur.

A verbis ‚Sed statim stulte miles etc.‘ nova annotatio initium capit; cuius prima verba aut perierunt aut ‚sed‘ corruptela exortum est. Pro ‚convitium‘ legendum est condicionem, vernacula „Liebesantrag“.

Cum falsis lemmatis leguntur haec scholia:

Eun. II. 3. 58.

Vidi, novi: scio quo abducta sit. ||

Eho, Parmeno mi, nostin et seis ubi siet?

Scio quo abducta sit.] Secunda ἀποσιώπησις. —

In lemmate huius glossematis delendum est ‚scio‘, ut intellegatur, quid sibi voluerit scholiastes significare. Coniunxit enim falso: *Vidi, novi, scio*; deinde intulit: *quo abducta sit*: quae quidem verba *Charino* exclamante: *Eho, Parmeno etc.* servum perficere non potuisse interpretatur. Scribendum ergo:

Quo abducta sit —]. Secunda ἀποσιώπησις. (Aliter Hahnus l. l. II. p. 8 et 9.)

Eun. III. 5. 12.

O festus dies hominis, amice, salve.

O festus dies hominis, amice, salve.] Decet a salutatione incipere luculente dicturum. Illud autem verisimile est et percussum re nova et audiendi cupidum immemorem extitisse salutandi.

Non de *Chaereae* verbis commentator exponit, quippe qui amplissimis verbis amicum salutet, sed *Charinum* notat immemorem fuisse salutandi his verbis (v. 10 sqq.): *Chaerea, quid est quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quaerit?* etc.

Adelph. I. 2. 59 sqq.

Iste tuus ipse sentiet

Posterius. nolo in illum gravius dicere.

Posterius]. Etenim *Demea* satis hoc grave existimat dictum in eum, qui non provideat in futurum, et arctius quia pater est. — *Nolo in illum gravius.*] Scilicet quam hoc.

Sic *Westerhovius*; rectius *Klotzius* ex editt. vett. exhibuit: *Nolo etc.*] Scilicet quam hoc. — *Posterius*]. Etenim *Demea* etc. — Praeterea annotat primam *Venetam* pro lemmate: *Nolo in illum gravius* exhibere: ‚*Iste tuus sentiet postremo malo nullum.*‘ Inde facile intellegitur legendum esse: *Nolo in illum gravius.*] Scilicet quam hoc: *Iste tuus ipse sentiet*

posterius. Etenim etc. — Iam in iis quae sequuntur desideratur particula ‚non’ ante verba ‚satis hoc grave’, cum severus pater etiam graviora dicere malit, sed oratione Micionis fratris sui coactus reticuerit. Frustra deinde editores corruptelam, quae in verbo ‚arctius’ inest, sanare conati sunt. Mihi videtur legendum esse pro ‚et arctius’: et urget ius sc. se graviora dicere posse, quia pater est. (Cf. schol. ad Adelph. I. 1. 2 *Non necesse habeo omnia pro meo iure agere*] . . . Ergo hic sensus est: Non necesse est, etiam si liceat, saevum esse patrem, et mire ostendit ius suum nisi necessitate non esse servandum.) Totum locum ergo sic emendo: *Nolo in illum gravius.*] Scilicet quam hoc: *Iste tuus ipse sentiet posterius*. Etenim Demea non satis hoc grave existimat dictum in eam, qui non provideat in futurum, et *urget ius*, quia pater est.

Adelph, III. 4. 12 sqq.

Si deseris tu, periimus. || Cave dixeris.

Neque faciam neque me satis pie posse arbitror.

Si deseris tu, periimus.] Et huic rei maxime respondet oratorie, quae illum maxime commovit. Ut: *En ego victa situ*. — Et: *Pulsus ego?* — Alii πρὸς τὸ *periimus* τῷ εὐφρημισμῷ responsum putant.

Lege: *Si deseris tu, periimus.*] Ut: *En ego victa situ* — et: *Pulsus ego?* — *Cave dixeris.*] Et huic rei etc. Alii πρὸς τὸ *periimus* . . . putant.

Hec. prol. 1. 8.

Alias cognostis eius, quaeso hanc noscite.

Eius.] Poetae. Quasi haec omnino non nota sit. At in Andria etc.

Lege: *Eius.*] Poetae. — *Quaeso hanc noscite.*] Quasi haec etc.

Hec. V. 1, 17.

Meum receptas filium ad te Pamphium. || Ah. ||

Sine dicam: uxorem hanc priusquam duxit, vestrum amorem pertuli.

Vestrum amorem pertuli.] Ἀποσιώπησις ut in Heautontimorumenos: *At nae illud haud inultum si vivo ferent. Non iam, non tute cohibes?*

Lege: *Ah . . .*] Ἀποσιώπησις ut in Heautontimorumenos: *At nae illud haud inultum si vivo ferent. Nam iam . . . || Non tu te cohibes?*

B.

Interpolationibus depravatae sunt hae sententiae:

Andr. I. 1. 10 sqq.

Feci e servo, ut esses libertus mihi,

Propterea quod serviebas liberaliter.

Liberaliter.] Bene: quia omne bonum libero aptum est, malum servo. Idem alibi: *Factum a vobis duriter immisericorditerque: atque etiam si est, pater, dicendum magis aperte, illiberaliter*. Et bene admonuit, cur dederit beneficium, eadem et nunc officia quaesiturus. Nunc enim dicit artificiose, quia supra ait: *Nihil istac opus est arte*.

Extrema sententiae verba sic legenda sunt: Non enim dicit: *artificiose*. Verba quae sequuntur quia supra ait: ‚*Nihil istac opus est arte*’, ut ostenderetur, quem versum Terentii respiciens commentator poneret adverbium ‚artificiose’, scholio aspersa sunt.

Andr. II. 6. 16.

Subtristis visus est esse aliquant[ul]um mihi.

Subtristis etc.] Mire servatum est in adolescente libero τὸ πρέπον, et in amatore τὸ πιθανόν. Nam et honesto iuveni non congruebat versipellis vultus: et in amatore absurdum

fuerat, ingenuum celare tristitiam. Itaque nec ad plenum tristis fuit, quia dixit *celanda res erat*; nec gaudium fuerat, quia ingenium et amoris necessitas in tristitiam retrahebat.

Verba ‚quia dixit: *celanda res erat*’ (pro quibus editt. vett. exhibent: quia dixit: *occultanda res erat*) corrupta sunt; nullo enim fabulae loco Pamphilus hoc locutus est. Westerhovius cum Wielingio consentit, qui coniecit verba ‚celanda res erat’ a margine in textum irrepsisse et scribendum esse: quia dixit: *Subtristis*. Sed mendum, quo sententia laborat, non in his verbis inest; quae si commentatori tribuuntur et ad coniunctionem ‚quia’ referuntur, optime ad sensum totius loci quadrant. Ergo ‚dixit’ per errorem aliquem in textum illatum est. Praeterea pro ‚nec gaudium fuerat’, quia necessaria quaedam ad subiectum enuntiati ‚Pamphilus’ relatio desideratur, videtur legendum esse ‚nec gaudium finxerat’. Totum igitur locum sic emendo: ‚Itaque nec ad plenum tristis fuit, quia occultanda res erat, nec gaudium finxerat, quia ingenium et amoris necessitas in tristitiam retrahebat.

Andr. IV. 3. 11 sqq.

Ex ara hinc sume verbenas tibi

Atque eas substerne. || Quamobrem id tute non facis?

[*Quamobrem id tute non facis.*] *Tute* tunc dicitur, cum pronomen ad eam revocatur personam, a qua sumitur. ut verbi gratia, cum dicimus: *Tu lege*: ille nobis respondeat: *Cur tute non legis?*

Sic editiones omnes; sed quid sibi velint verba ‚cum pronomen ad eam revocatur personam, a qua sumitur’ non explicatur. Scholium plane corruptum sic conicio restituendum esse: [*Quamobrem etc.*] *Tute* tunc dicitur, cum pronomine ad eandem rem revocatur persona, ut verbi gratia, cum dicimus: *Tu lege*, ille nobis respondeat: *Cur tute non legis?*

Verba ‚a qua sumitur’ quomodo in textum irrepserint, intellegi non potest nisi ex antecedentibus verbis Terentii ‚ex ara hinc sume verbenas tibi’. Nam cum falso legeretur ‚ad eam revocatur personam’, a magistro quodam ad accuratius significandam personam ‚eam’ additum est: ‚a qua *sume* dicitur’, quae quidem rursus in ‚a qua sumitur’ corrupta sunt.

Eun. I. 2. 87 sqq.

Porro eunuchum dixti velle te,

Quia solae utuntur his reginae: repperi.

[*Quia solae utuntur his reginae.*] Nota, quum eunuchum in singulari numero praeposuerit, *his* subiunxisse. sed *his* non ad eunuchum retulit, sed ad delicias, aut quid tale: quia solae utuntur huiusmodi deliciis servitiisque reginae. Et oratorie hic subdidit, quod in ancillula praetermisit: quia nulla Aethiopissa honesta dici potuit.

Extrema scholii verba ‚quia nulla Aethiopissa honesta dici potuit’ hoc loco plane inepta perturbato sententiarum ordine addita sunt ex simili scholio ad Eun. III. 2. 21: *Ita me dicament; honestus est.*] Hic subdidit, quod in ancilla praetermisit, quia Aethiopissa honesta dici non potuit.

Sententia ergo sic restituenda est: [*Quia etc.*] Nota . . . Sed his non ad eunuchum retulit, sed ad delicias, aut quid tale. Et oratorie hic subdidit, quod in ancillula praetermisit: quia solae utuntur huiusmodi deliciis servitiisque reginae.

Eun. III. 2. 19 sqq.

Ubi tu es, Dore? accede huc. Hem eunuchum tibi

Quam liberali facie, quam aetate integra.

[*Hem eunuchum tibi.*] Mire postquam dixit *eunuchum tibi* intulit: *quia solae utuntur his reginae, repperi*. Quasi dicat: Eunuchum dixti velle te, eunuchum tibi repperi.

Sic Klotzius scholium apud Westerhovium plane dilaceratum ex editt. vett. exhibuit; quod sic conicio restituendum esse: *Hem eunuchum tibi.*] Mire postquam *eunuchum* dixit, intulit *tibi*, quia solae utuntur his reginae. Quasi dicat: Eunuchum dixi velle te, eunuchum tibi repperit.

Eun. V. 8. 14. sqq.

Quid commemorem primum aut laudem maxume?

Illumne, qui mihi dedit consilium, ut facerem, an me, qui id ausus sim

Incipere, an fortunam conlaudem, quae gubernatrix fuit?

Illumne qui mihi dedit consilium.] Attribuuntur personis consilia, facta, casus et orationes. Ergo hic laudatur consilium Parmenonis, factum Chaereae, casus Fortunae, id est, eventus: oratio senis.

Delendum est: et orationes. (Cf. proximum scholium: Tria sunt in vita hominum: consilia, facta, successus etc.).

Adelph. II. 3. 7.

O Syre, Aeschinus ubi est? || Ellum te expectat domi.

Ellum]. Ecce illum: vel pronomen est, vel adverbium demonstrantis. Alii interrogative legunt: ut sit *ellum dicis?* te expectat domi, ut sit *ellum* pronomen, id est *illum*, nam et *illum* et *ellum* et *ollum* veteres dixerunt.

Verba ,vel pronomen est, vel adverbium demonstrantis', quibus nexus sententiarum perturbatur, interpolata sunt ex schol. ad Andr. II. 2. 14: *Ellum*] quasi en illum: est enim ut alii volunt, pronomen, ut alii, adverbium demonstrantis.

Rectus sententiarum ordo mutatus videtur esse his locis:

Eun. II. 3. 19. sqq.

Fac sis nunc promissa appareant,

Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos.

Ubi tu nervos intendas tuos.] Utrum obscene hoc, ut servus? an μεταφορικῶς? ubi laborare ac periclitari debeas. Sed melius legunt, qui hoc totum ad personam applicant Chaereae: et melius, quam qui Parmenonem hoc putant loqui: *sive adeo digna res est, ubi nervos intendas tuos.*

Verba ,et melius quam qui Parmenonem hoc putant loqui etc.' apte antecedenti sententiae tribuuntur: *Sive adeo digna res est.*] Si persona Parmenonis est, *sive* abundat: et pro expletiva coniunctione modo est, in quibusdam omnino non legitur. *Adeo* autem abundat aut nimis significat vel satis. Si Chaerea dicit, hic ordo et sensus est: Fac si vis nunc, sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos, ut promissa appareant. ut sit *sis* si vis: et addatur *ut* quod deest: Fac ut promissa appareant.

Eun. III. 2. 23. sqq.

Fac periculum in literis,

Fac in palaestra, in musicis: quae liberum

Scire aequam est adolescentem sollertem dabo.

Solertem.] Deest *his*. *Solers* quasi totus ex arte consistens, ut ὅλος ἀρετῆ, quod Latinis verbis quasi *solus in arte* sit. Huic *iners* contrarium. Nam *solers* quasi ὅλος ἀρετῆ dictus. Ὀλον solum, ut ἕξ sex et ὅς sus dicimus.

Verba ,Nam solers quasi ὅλος ἀρετῆ etc.' loco suo videntur mota et huic antecedenti scholio adiungenda esse: *Solertem.*] Id est disertum. Utrum *haec* solertem? Ut Horatius An assumendum est *his* extrinsecus?

Adelph. II. 3. 7. sqq.

O Syre, Aeschinus ubi est? || Ellum te expectat domi. || Hem. ||
Quid est? || Quid sit? illius opera, Syre nunc vivo. Festivum caput,
Qui omnia sibi post putavit esse prae meo commodo etc.

Illius opera, Syre, nunc vivo.] O miram amplificationem beneficii. non dixit, Illius opera amicam habeo: sed quod satis grave et satis amatorium: *Illius opera nunc vivo*, inquit. *Festivum caput.*] Huic contrarius sensus est: *Ridiculum caput.* Alii putant, *festivum caput*, non Aeschini intelligendum, sed orationis, quam habet Ctesipho, agens gratias fratri. Ita in Eunucho: *Quam venuste, quod dedit principium adveniens.* Quod si est, nihil potest supra hanc laudationem: nam supra hoc factum erit accipiendum. sed male: nam *caput Aeschini*, id est ipsum Aeschinum, ut in toto pars sit per *συνεχδοχήν*: in qua figura et pars pro toto ponenda est, quae aut eminent ex toto, aut maioris pretii est ad id quod agitur etc.

Verba inepta, quod si est, nihil potest supra hanc laudationem. Nam supra hoc factum erit accipiendum' ad sententiam, cui lemma antepositum est: *Illius opera, Syre nunc vivo*' videntur referenda esse. Quae ut sensum quendam exhibeant, legendum est pro 'accipiendum'; accipienda. Totus ergo locus sic constituendus est: *Illius opera etc.*] O miram amplificationem beneficii. Non dixit: illius opera amicam habeo, sed illius opera nunc vivo, inquit. Quod si est, nihil potest supra hanc laudationem; nam supra hoc factum erit accipienda. *Festivum caput.*] . . . Alii putant *festivum caput* non Aeschini intellegendum, sed orationis Ita in Eunucho: *Quam venuste! quod dedit principium adveniens.* Sed male; nam *caput Aeschini* id est ipsum Aeschinum etc.

C.

Coniecturis emendandi sunt hi loci:

Andr. II. 6. 19. sqq.

Ait nimium parce facere sumptum. || Mene? || Te.
,Vix', inquit, ,drachumis est opsonatum decem'.

Ait nimium parce facere sumptum.] Mire ipsum dicere veluti *fecit*, et *nimium*, et *parce*. *Nimium parce faere.*] Pepercit, ne diceret sordide.

Klotzius ex editt. vett. recte annotat legendum esse: *Ait nimium perparce facere sumptum.*] Mirum ipsum dicere veluti *fecit*: *Mene?* — Reliqua sic legenda sunt: *Et nimium perparce facere.*] *Perparce* dicit, ne diceret sordide.

Andr. V. 4. 18.

Ego istaec moveo aut curo? non tu tuum malum aequo animo feres?

Non tu tuum malum aequo animo feres.] Non filium, sed amorem in filio significat. An quia iratus est? Et quaeritur, an convenient haec verba Pamphilo veniente. Immo enim convenient: nam quanto magis dissimulat favorem, tanto plus acquirit fidei ad ea quae loquitur.

Ex ed. pr. Veneta, quae exhibet: ,pro Pamphilo veniente' videtur legendum esse: Et quaeritur, an convenient haec verba pro Pamphilo veniam petenti.

Eun. I. 2. 85. sqq.

Nonne ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus
Quaesivi?

Nonne ubi mihi dixti cupere te.] Plus dixit, *ubi dixti cupere te*: quam si diceret, fecisti ut emerem. Plus est enim id praestitisse, quod qui acceperit, non ausus fuerit postulare.

Legendum est: Plus dixit: ubi dixti cupere te quam si diceret: petisti ut emerem etc. (Cf. schol. ad. v. 87: *Quaesivi.*] Vide, quemadmodum exhibeat atque aerumnas sibi difficile munerum dicat imposuisse meretricem *Quaesivi*, non enim in promptu erat; deinde non *petisti*, sed *dixisti* etc.)

Eun. III. 5. 29.

Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat et mihi ne abseedam, imperat.

Et mihi ne abseedam, imperat.] Certe nullus vir accedit.

Lege: Certe, ne ullus vir accedat.

Eun. IV. 3. 11.

Eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit!

Eunuchum quem dedisti.] Quidam volunt *quem* distinguere, quasi dicat *qualem*: sed nesciunt hac figura multum veteres usos esse. *Eunuchum* enim ad *dedisti* verbum retulit. Nunc ergo addit propter aliud ἀξίωμz assumendum extrinsecus: *is eunuchus*. Nam quoties uno nomine aut pronomine diversae declinationis enuntiationes comprehenduntur, necesse est quod alteri accommodatum fuerit, ab altero discrepare.

Verba: ,Nunc ergo addit propter aliud ἀξίωμz assumendum extrinsecus *is eunuchus* vitium traxerunt. Accuratius si antecedentia consideramus, facile intellegitur legendum esse: Eunuchum enim ad *dedisti* verbum retulit. Nunc ergo ad *dedit* propter aliud ἀξίωμz assumendum extrinsecus: *is eunuchus* etc.

Eun. V. 8. 19. sqq.

Di vostram fidem! incredibilia

Parmeno modo quae narravit!

Quae narravit.] Nimius affectus in utramque partem defectus orationis amat: est ergo ἔλλειψις: deest enim: *Gaudeo*.

Videtur legendum esse: deest enim: Gaudia.

Adelph. I. 1. 1.

Storax.] Nomina personarum, in comoediis duntaxat, habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est comicum aperte argumenta confingere: vel nomen personae incongruum dare, vel officium quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis Parmeno: infidelis vel Syrus, vel Geta: miles Thraso, vel Polemon: iuvenis Pamphilus: matrona Myrrhina: et puer ab odore Storax: vel a ludo et a gesticulatione Circus: et item similia in quibus summum poëtae vitium est, si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit, nisi per ἀντίφρασην nomen imposuerit ioculariter, ut Misargyrides in Plauto dicitur trapezita. Et fere hoc modo apud alios a poëtis nomina componuntur describendo per ἀντίφρασην, quod designat Storax. Primae partes, sicut in prologo ipse promisit, a senibus aguntur etc.

Pluribus hic locus mendis infuscatur. Cum de nominibus personarum cum partibus earum congruentibus agatur, quid sibi vult haec sententia ,etenim absurdum est comicum aperte argumenta confingere'? in qua praeterea pro ratione linguae Latinae parum, quid sit ,aperte confingere', intellegitur. Deinde in verbis ,e contrario repugnans', cum subiungatur ,contrarium

diversumque', mendum videtur latere; sententia denique ,et fere hoc modo apud alios a poetis nomina componuntur describenda per ἀντιφράσιν, quod designat Storax' plane absurda est. Ne longum sim: totum locum sic emendo:

Storax.] Nomina personarum . . . habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est comicum apte argumenta confingentem vel nomen personae incongruum dare vel officium, quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis Parmeno . . . et puer ab odore Storax vel a ludo et a gesticulatione Seirtus.*) In quibus summum poetae vitium est, si quid a charactere repugnans contrarium diversumque protulerit, nisi etc. Et fere hoc modo apud alios etiam poetas nomina componuntur describentia per ἀντιφράσιν, quod designant.

Iam novum incipit scholium, eum praescribendum est lemma: *Storax.*] Primae partes . . . a senibus aguntur etc.

Adelph. I. 1. 19. sqq.

Uxorem numquam habui. ille contra haec omnia:
Ruri agere vitam, semper parca ae duriter
Se habere. uxorem duxit: nati filii
Duo: inde ego hunc maiorem adoptavi mihi.

Uxorem duxit.] Adiuvandam pronuntiatione est, ne singula utrinque assecuti videantur. Nam sic in fine fabulae ait Demea: *Uxorem duxi: quam ibi miseriam vidi! nati filii; alia cura.*

Sententia ,ne singula utrinque assecuti videantur' plane corrupta est. Emendandi ansam praebent verba Demeae: ,Uxorem duxi: quam ibi miseriam vidi! nati filii: alia cura'. Inde efficitur commentatorem ideo verba pronuntiatione adiuvanda esse monuisse, ut appareret, quantam curam Micioni Demea nupliis suis videretur subiisse. Pro ,singula' ergo legendum est: ,sine cura'. Praeterea ,ne' dissecandum est in \bar{n} et \bar{c} , quae quidem compendia ,non' et ,enim' significent. Totus igitur locus sic restituendus est: *Uxorem etc.*] Adiuvandam pronuntiatione est; non enim sine cura utrumque assecutus ei videtur. Nam sic etc.

Adelph. II. 4. 10. sqq.

Ah, stultitia est istaec, non pudor: tam ob parvolam
Rem paene e patria! turpe dictu; deos quaeso, ut istaec prohibeant.

Tam ob parvolam rem.] Ergo deminutivis adiungitur *tam* particula. Et deest perire, sed τῷ ἐπιφρασμῷ tacetur.

Lege: Vulgo deminutivis adiungitur *tam* particula et deest ire etc.

Adelph. III. 2. 55. sqq.

Propera tu, mea Canthara,
Curre, obstetricem accerse etc.

Curre.] Mire dictum est ancillae: *Curre.*

Ancillam iuberi currere non est mirum; lege: ,Mire dictum est aniculae: *Curre*'. (Cf. ib. III. 1. 1. *Quid nunc fiet.*] . . . namque illius nutritrix est (sc. Canthara), quippe anicula est.)

Adelph. IV. 5. 9.

Erubuit, salva res est.

Erubuit etc.] Nimis paterna sententia . . . Et quanti affectus est non dixisse *erubuit salvus est*, sed *salva res est* . . . Eodem animo et supra dixit: *In eo me oblecto, solum id*

*) Sic recte emendavit Bentleius (cf. Dziatzko „Beiträge etc.“ p. 668) quod fugit Koenigium, qui eandem coniecturam in Nov. Ann. Fleckeisemi CXXI. p. 520 protulit.

est carum mihi. Non enim solum intulit quod expectabatur: sed absolute, quasi ex omnibus solum id est, inquit.

Lege: Non enim solus intulit, quod expectabatur etc.

Adelph. IV. 5. 19. sqq.

Is venit, ut secum avehat

Nam habitat Mileti || Hem, virginem ut secum avehat? ||

Sic est. || Miletum usque obsecro etc.

Is venit ut secum avehat.] Aliud peius in amatam, ut nec Athenis saltem alteri nuberet.

Lege: Aliud peius in amatorem etc.

Adelph. V. 5. 8. 15. sqq.

Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo

Fiam atque anum decrepitam ducam?

Ego etc.] Hic deest et *Quis*, et *Quid*, et *Quando*, et *Quomodo*: ut sit, *Quis?* ego. *Quid?* novus maritus. *Quando?* anno demum quinto et sexagesimo. *Quomodo?* anum decrepitam ducam.

Lege: Hic non deest etc.

Phorm. I. 1. 1.

Primo actui commentator haec praemittit:

Quod in omnibus fere comoediis, in quibus perplexa argumenta sunt, fieri solet, id in hac quoque Terentius servat: ut *προστατικὸν προσωπον*, id est, personam extra argumentum, inducat: cui dum ob hoc ipsum, quod veluti aliena tota fabula est, gesta res narratur, discat populus textum ex continentia rerum, sitque instructus ad cetera.

Ad haec verba Westerhovius annotavit: *Aliena tota fabula.*] Forte: *Aliena a tota fabula.* — Sic legendum esse confirmatur eadem annotatione scholiastae codicis Bembini, qui hoc loco habet: . . . cui dum ob ipsum, quod veluti aliena a tota fabula est, res gesta narratur etc. (Cf. l. l. p. 379)

Phorm. I. 2. 37.

Nos otiosi operam dabamus Phaedriae.

Nos etc.] Aut ad pudorem sumitur hoc pronomen in singulari numero: aut ad dignitatem. sed potest *nos* et propter Antiphonem dixisse.

Lege: Aut ad pudorem sumitur hoc pronomen in plurali numero etc.

Phorm. II. 1. 81. sqq.

[At] ego deos penates hinc salutatum domum.

Devertar.

At ego etc.] Nulla mentio fit uxoris apud Demiphonem. non enim convenit argumento ut habeat. neque quid in Cilicia gesserit, demonstratur ideo, quia iam dictum est: *Noster in Ciliciam ad hospitem antiquum.* causa enim quaesita est cur abesset, dum uxorem ducat Antipho: et causa ex argento, id est, avaritia, quo minus videatur pati nurum pauperem, qui ob spem lucri ab Attica in Ciliciam navigarit.

Lege: . . . Et causa ex argumento, id est, avaritia etc.

Phorm. II. 3. 79.

Tute idem melius feceris.

Tute etc.] Locus est hic, ut ostendat Phormio de compacto egisse cum Antiphone.

Lege: . . . ut ostendat Phormio non de compacto egisse etc. (Cf. proximum scholium: *Tute etc.*] Artificiose autem loquitur Phormio, ut adimat suspicionem seni consensionis et conhibentiae inter parasitum et filium.)

211. 20. 10. 6ct

PA
6380
T48

Teuber, August
De auctoritate comm
in Terentium

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

